

zeitige Verleihung des deutschen Rechts an alle zum Kloster Jeżów gehörenden Dörfer.¹⁾ Wollte der Vorsteher des Klosters jedoch eins oder das andere seiner Dörfer mit polnischem Recht behalten oder nach diesem oder einem anderen Rechte lozieren, so sollte er darin volle Freiheit haben.²⁾ Seinerseits befreite der Fürst auch solche Dörfer von allen Verpflichtungen ihm gegenüber.

(Schluß folgt im nächsten Jahrgange.)

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. III. 1908. pg. 405—411.)

§ IV.

Monasterium S. Stephani de Ribas del Sil.

Aedificatum erat in Dioecesi Auriensi, tribus leucis a civitate hujus nominis distans, in monte quodam juxta fluvium Sil, a quo nomen assequutus est. Hunc locum jam inhabitaverant servi Dei ante maurorum irruptionem vitam eremiticam in illo ducentes; quae institutio iterum florebat saeculo X, cum vir sanctus, nomine Franquila, una cum comite Gutierre Menendez S. Rudesindi Episcopi genitore, Ordonnium II Regem adiit deprecans ut antiqua aedificia reconstrueret, quod piissimus Rex libenter perfecit anno septimo regni sui, quod Christi Domini 921 erat, ut post Cl. Sandoval O. S. B. probat P. Florez³⁾ contra opiniones Ambrosii de Morales, nostrique Yepes qui annum aeramque diversam assignant.⁴⁾ Religiosissimus Princeps haec occasione concessit novo Monasterio totum locum, territoriumque ac oppida in illa „pro reparatione Ecclesiae, pro luminariis jugiter accendendis, pro odoribus adolendis et sacrificiis placabilibus immolandis, pro victu ac vestitu monachorum, pro susceptione hospitem et peregri-

¹⁾ C. d. M. P. 1131: Prefatam villam ecclesiae s. Andreae apostoli in Jezow iure Theutonico et civili, aliasque villas superius annotatas . . . cum locari potuerint, . . . etiam Jure Theutonico locare permisimus, ipsi domui et fratribus omnem jurisdictionem, civitati et civibus omnia jura civilia ex toto ascribendo . . .

²⁾ ibidem: Si autem aliquam villam ex hiis jam prelibatis pro se jure Polonicali voluerit servare aut eodem jure vel alio locare, ipsi in eo liberam damus . . . facultatem.

³⁾ »España Sagrada« XVII, 17.

⁴⁾ Morales »Cronica«, lib. XV, cap. 43 (t. II. p. 353. edit. »Glorias nacionales« Matrit. 1852: Yepes, IV. 294 v).

norum, ut in ipsum locum inde habeat usualem lucrum et nobis (inquit) ante Deum repromissum emolumentum.¹⁾

Ab ipsa restauratione hujus Monasterii exactissima viguit sanctae Regulae observantia ita ut fervore monachorum attracti novem circumvicinarum Dioecesium Praesules,²⁾ episcopatu abdicato, in hanc solitudinem se retraherent ad liberius, quod eis supererat tempus, in Dei servitio vacandum, qui omnes magna vitae sanctimonia finire, quam Deus illustribus miraculis nobilitavit reddens sepulchrum eorum gloriosum. Hac de causa solitudo illa tum a populo tum a Principibus frequentari coepit, qui bona possessionesque non tenues Monasterio contulerunt, hisque adjunctis aedificia monastica et templum perpulchrum, ubi eorum corpora decentius tumulata, fideliumque venerationi exposita essent, constructa sunt.³⁾ Annexa fuere pariter huic Asceterio nonnulla Coenobia inter quae duo abbatiali dignitate insignita erant, ut Sancta Christina, cujus initia non cognoscuntur, sicut nec Sti Vincentii de Pombeyro, quod aliquando ad Cluniacensem Congregationem pertinuit,⁴⁾ postea cum aliis transit ad Vallisoletanam quando Rippasilense isti unitum est anno 1529. Haec aggregatio nonnisi post longum cum Pseudoabbatibus, qui Commendatarii vocabantur, conflictum obtenta est, ex quo enim accidit ut olfacerent opes in Monasteriis repositas, commendam ipsorum summe appetiverunt ad honestiorem vitam, ut supponitur, ducendam quin sudore vultus sui panem comedere cogerentur.

Congregatio Vallisoletana loci commoditate permota Monasterium hoc pro Junioribus monachis Philosophiam discituris destinavit, atque in electione Praelatorum ejusdem praecipue ante oculos habuit praeficere illos qui virtute ac scientia excellent. Memoria prae aliis digni sunt ex catalogo Jepesiano Michael de Zamora, ejusdem Domus professor (1565), qui fere omnia monasteria Galloeciae tum ut abbas, tum ut Visitator lustravit atque Podiense ac Lerezense reformavit; Petrus de Barba ob beneficia

1) Yepes, IV, Escritura XXXI, pag. 450.

2) Horum nomina sunt: Ansurius Auriensis (915—22); ejusque successor Bimarasius; Gonzalus Ossorius et Froalengus Conimbricensis; Servandus, Viliulfus atque Pelagius Compostellani seu Irienses; Alphonsus, Asturicensis, et Petrus Sedis ignotae. (Ita Yepes. loc. cit. 297; Morales »Cronica« loc. cit. »Viaje Santo« p. 162). Aliter tamen sentit Florez, »España Sagrada«, XVII, 70, quoad sedes his sanctis Episcopis assignandas. — Reapse magnae difficultates occurrunt. Credit P. Florez Vimarasiun, seu Vimaram fuisse Tudensis Ecclesiae Praesulem, etsi postea fateatur inveniri quoque alium hujus nominis in Auriensi Sede (pag. 71, 75). Froalengus forsitan fuit Portucalensis (XIV 89); tres sequentes non invenimus in Catalogo Compostellano (XIX); quoad Alphonsum desunt probationes pro sede Asturicensi; tandem existimat Florezius quod Petrus fuerit Auriensis Praesul attentis loci temporisque circumstantiis (XVII, 77).

3) Morales, »Viaje Santo«, loc. cit.; Yepes, loc. cit.

4) Yepes. IV. 300; V, 135 v. seq.: Argaiz, »Soledad laureada«, III, 288.

praestita ceu alter conditor habitus, cui aemulatus est Victor de Najara (Cauriensis), qui sanctorum Episcoporum corpora in digniorem locum transtulit, qua occasione altare majus magnificentius refecit; et Joannes Muñoz, jampridem Samonensis (1599—601), qui Yepesio subministravit quaecumque ad historiam hujus coenobii usque ad illa tempora magis pertinere censuit. Reliquorum Abbatum catalogum confectum non vidimus, verumtamen plurimi eorum noti sunt, quia plures alias dignitates in Congregatione habuerunt, hancque nonnulli moderati sunt quorum ultimus fuit egregius vir Ferdinandus Montenegro, de quo in superioribus actum est.¹⁾

Ejus successores saeculo XIX fuerunt Joannes Briones (Sahaguntinus), ab an. 1805 ad 1814, deinde concionator Samonensis necnon et Visitor generalis: Josephus Garcia Lexalde, pariter Sabaguntinus (1814—18), postea inter Definitores adnumeratus; Augustinus Gonzalez Villar, Lorenzanensis, Procurator pro negotiis in Portu Brigantino (1824): Benedictus Valdés, Cauriensis, unus ex concionatoribus Matritensibus, an. 1818; Gregorius Linares, Sanaemilianensis, antea Studiorum praefectus apud Espinareda (1814); post exactum hujus Domus regimen Socius Abbatis Generalis designatus (1832); et tandem Benedictus Feijoo, patria gallaicus, professione burgensis, suiue Coenobii moderator (1824—28), atque Abbatum elector (1828—32) sub quo expulsio Monachorum contigit.

Nihil mirum est quod vix inveniantur inter Abbates qui in hoc Coenobio vitam monasticam incoeperint, etenim fere omnis Conventus constabat ex monachis aliorum studendi gratia hic manentibus. Hac de causa tres tantum religiosi hujus Domus

¹⁾ Studien 1907, 545: alii fuerunt Benedictus de Gaona (septem annis et post eum Placidus de Salinas; Maurus de Villaroel (1629—31), Gabriel de la Riba Herrera (electus an. 1641); Joannes de Dueñas, hujus Domus filius). Praeterea hoc Coenobium rexerunt Petrus de Esparza, (1641—49); Joannes de Legazpi (ex Cellanova), regius Concionator (1685); Josephus del Hoyo (Caradignensis) qui bis propriam domum moderatus est semelque S. Andream de Espinareda; (obiit Caradignae 1. Jan. 1702); Josephus de Arriaga (ex Cellanova), bis quoque suae domus Rector, deinde procurator in Curia Matritensi atque Socius Abbatis Gen. Joannis B. de Lardito; Gabriel Quadrado (Samonensis), qui Abbatiam Tenoriensem conereditam quoque habuit; Michael Ximenez de Barranco (ex Vallisvenaria), Congregationis concionator generalis, post exactum regimen Domus suae professionis, hujus Ripae silensis semel et iterum Praesul (2^o 1727—21); Isidorus de Couvarem, monachus et Abbas Guixolensis, Emmanuel Bordel, Sahaguntinus (1745) sequenti quadriennio Procurator generalis; Josephus Mauson, item Sahaguntinus (1761?), sub quo debebant duodecim monachi fere omnes magisterii onere occupati, praeter quatuor alios theologiae studio addicti, atque viginti septem juniores Philosophiam audientes; Josephus Alvareda, Cellanovanus, qui fuit quoque Abbas suae Domus, Definitor et Procurator Matritensis, obiitque 2^o regiminis quadriennio (9. Oct. 1799); Placidus Saenz, Sahaguntinus, designatus loco Cl. Romualdi Escalona, qui renuntiavit in capitulo an. 1789; et tandem Bernardus Gayoso, Silensis, qui obiit nondum expleto regiminis tempore die 22 Martii 1793.

numerantur in Catalogo Congregationis an. 1801 confecto. Inde quoque accidit ut, dissolutione decreta, Monasterium statim desertum permanserit ita ut nunc vix primaevi status quidquam in aedificiis remaneat.

§ V.

Monasterium S. Joannis de Poyo.

Alterum ex Collegiis, quae habuit Congregatio Vallisoletana in regione Gallaica, fuit Monasterium S. Joannis B. de Podio juxta mare circa Pontem veterem in archidioecesi Compostellana. Ejus origo et fundatio ignoratur, sed noster Yepesius censet, adducitque pro sua opinione non spernendas rationes ut tribuatur Sancto Fructuoso Abbati-Episcopo Dumiensi; revera circumstantiae loci apprime in id conveniunt.¹⁾ Antiquior memoria, quae in ejus Archivo exstabat, refertur ad annum 942 agiturque de bonis quae postea concessa sunt Monasterio, quae confirmavit ei anno 1115 Regina Urraca, Regis Alphonsi VI Castellae filia, simul conferens totum locum qui Coenobium circumeingit. Vitam religiosam diu vixit vigeabatque saeculo XIII, anno quippe 1225 quidam miles nomine Ferdinandus Xuarez, ad bellum contra Mauros profecturus, concedit tres haereditates „Abbati Sancti Joannis de Podio, omnibusque monachis Deo stricte sub Regula Sancti Benedicti ibi degentibus.“ Nonnulli ex eis majoris solitudinis amore ducti, vitam eremiticam ducebant in proxima insula Tambo dicta, quae vix duo milliaria distat. Hoc vitae genus perduravit in ea saltem usque ad saeculum XV, vestigiaque parvi coenobii et ecclesiae adhuc videbantur circa an. 1589, quo tempore anglicani hoeretici appellentes cum navibus ad ora Galloeciae omnia subverterunt. Monasterium Podiense jampridem inciderat in manus Commendatariorum qui more suo fere nihil praeter parietes reliquerunt, conventum simul et Sanctae Regulae observantiam de qua nec mininum ipsi ordinarie curabant, pene interimentes. Tandem anno 1547 instante imprimis Carolo V Imperatore optatam libertatem obtinuit atque Congregationi Vallisoletanae adhaesit,²⁾ quae locum istum ob solitudinem coelique benignitatem ad monachorum recollectionem primo destinavit, deinde vero in Collegium theologiae pro junioribus religiosis ex diversis monasteriis ad hoc selectis illum convertit. Hac de causa, ut de superiore dictum est,

¹⁾ Yepes, V. 59; Morales, »Cronica«, Lib. XVI, cap. 18. (pag. 377 edit. cit.); »Viage Santo«, p. 138; Florez, »España Sagrada«, XIX, 31. Contradicit Argaiz in opere »Soledad laureada«, III. 79, contendens Monasterium a Sto Fructuoso conditum apud castrum Leonem esse quod postea de »Armentaria« dictum ad familiam Cisterciensem pertinuit; verumtamen idem auctor postea in historia Montisserrati, »Perla de Cataluña« inscripta, pag. 381, omnino adhaeret sententiae Yepesii.

²⁾ Yepes. loc. cit. pag. 62 v.; »Motivos legales«, pag. 409.

fere cunctus conventus ejus ex monachis extraneis constabat, unde initio saeculi XIX tantum unus Sacerdos duoque fratres Conversi ejusdem loci professi numerantur.

Catalogum Praelatorum hujus Domus affert noster Yepesius productum usque ad sua tempora. Ex antiquis speciali memoria dignos existimamus Fromaricum qui praeerat temporibus Urracae reginae hujusque filii Alphonsi VII, et Sanctium (an. 1251) qui obtinuit a Clemente IV confirmationem honorum et privilegiorum sui Coenobii. Primus ex Vallisoletanis fuit Franciscus de Barriento (1545) qui cum Commendatariis diu strenueque luctare debuit. Inter successores magis noti fuerunt Lope de Frias, Caradignensis, (1550) vir doctrina et sanctitate clarus,¹⁾ Alphonsus de Toro, qui fuerat Abbas Generalis,²⁾ Didacus de Lerma, Burgensis, pariter generalitia dignitate jam cognitus, hancque Domum duobus triennis rexit (1565—68; 1570—71);³⁾ Andreas Anzuriza, Caradignensis, praecipuis Congregationis dignitatibus insignitus (1579),⁴⁾ sed praecipue Ven. Sebastianus de Villoslada ex Asceterio Vallisvenariae huc adductus 1592, qui postea ut magis luceret in Matritum translatus, primus Abbas S. Matini renuntiatus est, ibique in odore sanctitatis decessit anno 1597.⁵⁾

Saeculo XVII inveniuntur celebriores Facundus de Torres, Sahaguntinus, an. 1610—13, de quo satis supra in Catalogo Moderatorum generalium actum est, qui obiit Archiepiscopus Sandominicanus 1640.⁶⁾ Ei successit Antonius de Colmenares, Vallisoletanus, Collegii Salmanticensis studiorum praefectus, illiusque Accademiae, si fides Argaizio danda est, tunc temporis Angelici Doctoris interpretum et asseclarum optimus.⁷⁾ Ipsam pariter Accademiam hocque Collegium tum legendo, tum regendo eodem saeculo ornavit Enneco Royo, Montserratensis, qui paulo post expletum Generalatus officium vitam finivit anno 1698.⁸⁾ Saeculo XVIII habuit et alium praesulem, qui ad supremam Congregationis dignitatem pervenit, nempe Paulum Valcarcel, Legionensem, pariter Coenobii antea rectorem, neonem et Accademiae Hirachensis,

1) Yepes. loc. cit. et tom. I. pag. 95 v.; Argaiz, »Perla«, pag. 445—46; Berganza, »Antigüedades« II, pag. 304.

2) Studien, 1907, p. 47; Argaiz, »Soledad laureada«, VI, pag. 406.

3) Studien, loc. cit.

4) Yepes, locis cit.; Berganza, loc. cit. pag. 322.

5) Yepes. III. 62; Argaiz, »Perla«, pag. 398; »Soledad«, I 142 v; Buccelinus, »Menologium«, p. 832.

6) Studien, 1907, pag. 317—18.

7) »Perla de Cataluña«, pag. 381.

8) Studien, 1907, 326. Fallitur continuator Hispaniae Sacrae, XLVIII, 68, confundens hunc Abbatem cum alio Ennecone Royo, ejus patruo, qui hoc tempore jam obierat Episcopus Barbastrensis. † 1680.

Procuratorem quoque pro negotiis curiae Matritensis, sociumque Abbatis Generalis Michaelis Ruete.¹⁾

Sed ne longiores simus, tantummodo elenchum ad saeculum XIX pertinentium hic faciemus. — Fuerunt sequentes: Isidorus Taboada, Compostellanus (1801), qui videtur decessisse aut renuntiasset an. 1804, quo ei suffectus est Robertus Colmenero, Burgensis. Ab anno 1805 ad 1814 Collegium hoc administravit Gabriel Collada, Caradignensis, sequenti quatriennio inter Deffinitores computatus, et deinde an. 1818 ad Abbatiam S. Martini Matritensis promotus. Successorem habuit (1814—18) Ferdinandum de Vinuesa, Sahaguntinum, qui Monialium Ovetensium S. Mariae de Vega confessarius antea exstiterat, necnon et Abbas S. Mariae de Obona. In Capitulo an. 1818 designatus fuit Emmanuel Caballero, ex Cellanova, ubi quoque fuerat Superior (1793) sicuti apud S. Petrum de Villanueva tempore gallicae irruptionis: qui post exactum hujus Collegii regimen Definitor factus, quadriennio nondum completo vitam finivit die 25 martii 1828. Ejus locum in Podiensi Coenobio adimplevit Benedictus Lopez Bahamonde, monachus Sahaguntinus, groecae ac hebraicae linguae professor in Accademia Hirachensi atque Magisterii generalis gradu jam ab anno 1805 condecoratus.²⁾ Post eum electus est Petrus Gomez, item Sahaguntinus, qui abbatiata munus gesserat apud Hirache (1805—14) et Espino, sed cum obiisset eodem anno (1828) subrogatus est ei Froylanus Guitian,³⁾ Carrionensis, jampridem praedicationis officio meritus in Coenobio Samonensi (1814), atque post munus abbatiale tertius Definitor in Capitulo an. 1832 institutus. Tandem ultimus Abbas Podiensis in hoc ipso capitulari congressu nominatus, fuit Philippus Martinez, ex Monasterio de Corias ubi eadem dignitate fruebatur an. 1824, post quam Definitoriam adimplevit sequenti quatriennio. Decessisse videtur, aut renuntiasset, siquidem invenimus alium ejus loco in Catalogo nobis transmissio, nempe Bernardum Martinez, ex Asceterio S. Petri de Montes, sub quo nunquam satis legenda exlaustratio contigit.

Monasterium Podiense a Benedictinis derelictum,⁴⁾ diu inhabitatum permansit, donec ultimis saeculi XIX annis Patribus B. Mariae de Mercede, qui illud nunc possident, concessum est.

¹⁾ Ex Catalogo nobis transmissio per R. P. Theodorum Lopez, nunc Conventualem Samonensem. Ad nostras manus pervenit post editum elenchum Moderatorum Generalium.

²⁾ Videtur defunctum jam esse anno 1832, etenim non invenitur in Catalogo illius Capituli inter »Magistros Generales«. Potuit tamen contingere ut hoc munus dimiserit.

³⁾ Ita ex catalogo nobis transmissio — sed in edito tempore capituli sonat nomen hujus Abbatis — fortasse alter obierat antequam dictus catalogus typis mandaretur.

⁴⁾ Videtur remansisse in Monasterio P. Stephanus Alvarez, qui adhuc perseverabat ibidem, eratque valde senex, die 26 Augusti 1868 ut ex ejus epistola ad Illm. D. Rudesindum Salvado novimus.

§ VI.

Monasterium S. Salvatoris de Lerez.

Distabat quasi duo millia ab urbe Pontevetere (Pontevetra) in Archiepiscopatu Compostellano, fuitque conditum circa an. 915 a quodam Abbate, nomine Guntado, in loco qui dicebatur Spinareto juxta fluvium Lerez, unde nomen accepit, ut constat ex diplomate piissimi regis Ordonnii II, tot beneficiis in benedictinum Ordinem meritissimi. Dedicatum fuit „ad honorem Sanctissimi Salvatoris Domini nostri Jesu Christi Filii Dei vivi et sanctissimae Mariae semper Virginis et Sanctorum Michaelis Archangeli et inelyti atque sanctissimi Jacobi Apostoli, S. Tirsi, S. Laurentii, S. Mametis, S. Martini Episcopi, Sanctae Mariae Magdalene, Sanctae Engratiae et omnium Sanctorum Dei quorum sacrosanctae Reliquiae in ipso Monasterio reconditae esse creduntur“.¹⁾ Locum, in quo aedificatum est, libenter cessit Ordonius qui praeterea plura contulit bona et possessiones, atque libertatem ab omni episcopali et civili potestate habere voluit. „Et ad confirmandum istum (locum) et istud Regale et Pontificale donum (addit ipse Rex), Ego et conjux mea Domina Geloira damus in praesenti ad ipsum Monasterium duos optimos signos, calicem argenteum optimum, crucem argenteam et capsam argenteam et duodecim vestimenta sacra sacerdotalia, stolas, manipulos, casullas et quattuor cappas sericas, Libros sacros, Missales, Officia Pontificales et Psalterios et Regulam scriptam Sancti Benedicti cum omnibus ornamentis sicut convenit in ordine monastico ad Dei servitium peragendum. Et insuper pro complemento beneficiorum quantum ibi habeo in ipso cauto do et concedo ad ipsum Monasterium ad usum et servitium Deo servientium in habitu Sanctae Religionis et Regula Sancti Benedicti“ . . .²⁾

Floruit in hoc Coenobio per aliquot saecula sanctae religionis observantia, neque caruit opibus, siquidem plures homines nobiles convenientes simul concesserunt quidquid in circuitu ejus possidebant, quod sequenti saeculo confirmavit Alphonsus VII (an. 1129), et postea (1293) Sanctius IV, Castellae ac Legionis Reges. Sed quum exorta est plaga commendatariorum, hoc Coenobium quoque invasit, illudque, tametsi non admodum dives, impetrarunt ejusque substantiam ita suxerunt, ait Yepes, ut nihil

¹⁾ Florez, »España Sagrada«, XIX, 30, edit. Matrit. 1792; XVII, 63 — contra Morales, »Viaje Santos«, pag. 139, et Yepes — IV, pag. 210, qui assignant an. 886, quos sequitur opus, »Motivos legales« . . . pag. 4.4. — Argaiç, in opere »Soledad laureadas. III, 360 designavit annum 885 allegans Diploma regium opusque Yepesii, super quae nimis propere oculos possuisse videtur.

²⁾ »España Sagrada,« XIX, Appendix — pag. 354.

in eo praeter ossa reliquerint¹⁾ totumque proculdubio evertissent nisi Carolus V Imperator fortiter reformationem Monasterii promovisset, quae tandem felicem exitum sortita est anno 1540.²⁾ Tunc praefectus est Lerez Petrus Ortiz, monachus concionatorque Compostellanus, qui per biennium Abbatiam rexit (1543—45).³⁾ Inter successores hoc saeculo praecipuos sunt memoria digni Didacus de Lerma (1562—4; 1565—68) iampridem Congregationis moderator;⁴⁾ et Joannes Cortes, Charadignensis, qui prius Abbatias de Cornellana, Cellorio et Dueñas obtinuerat, et ad propriam translatus est an. 1606, ubi triennio postquam a regimine fuerat absolutus, in pace quievit.⁵⁾

Ex Praesulibus saeculi XVII prae aliis nominabimus Antonium de Colmenares, Magistrum Generalem, atque Abbatem Coenobiorum de Poyo et S. Vincentii Salmanticensis (1633—36 †), cui defuncto successit Anselmus de Ayala, Burgensis, qui per sexennium hanc domum moderatus est, ex qua translatus fuit ad Obarenes; propriam quoque Burgensem regendam suscepit et tandem ad pontificalem dignitatem in Sardinia exercendam evectum fuisse dicitur.⁶⁾ Anno 1649 ob mortem Alphonsi Bermudez electus fuit Benedictus Salazar, Aemilianensis, de quo supra inter Moderatores Generales dictum est obiisse Barchinonensem Episcopum † 1691.⁷⁾ Anselmus Gomez (1677—81) claruit magna vitae sanctimonia, quam in ejus morte volunt testatam, quotquot videntur, signo intempeste reforescentis cerasi, quae juxta ejus cellam plantata erat.⁸⁾ Ab anno 1689 ad 1705 successerunt quattuor Compostellani, nempe — Ludovicus de Bustamante, regius Concionator et Cathedrae S. Thomae in Universitate Compostellana primus moderator;⁹⁾ Joannes de Torres,¹⁰⁾ Magister Generalis atque in eadem Universitate primarius professor;

¹⁾ Yepes. loc. cit., pag. 210 v.

²⁾ Yepes. loc. cit. »Motivos legales«, pag. 424, 449.

³⁾ »Motivos legales«, pag. 425; Catal. Ms. Abbatum Lerezensium, ex quo videtur hunc Abbatem adhuc post aliquod tempus a reformatione dignitatem obtinuisse.

⁴⁾ »Studien«, 1907, pag. 48.

⁵⁾ Berganza, »Antigüedades«, II, pag. 326.

⁶⁾ Ita ex catalogo Ms. Abbatum. S. Mariae de Obarenes, quem nobis missit R. P. Maurus Ruiz O. S. B. Coeterum ejus nomen invenire non potuimus neque ibi, neque in aliis Italiae sedibus, quas per multos annos occuparunt hispani.

⁷⁾ Studien, 1907, pag. 324.

⁸⁾ Ita Catalogus Ms. Lerezensis, a R. P. Theodoro Lopez nobis transmissus.

⁹⁾ Catalogus Ms. cit. et Compostellanus. Ipse forte iampridem fuerat Abbas hujus Coenobii, siquidem an. 1663—65 invenitur idem nomen, illeque Praelatus erat quoque monachus compostellanus.

¹⁰⁾ Circa hoc tempus erant et alii Abbates fere ejusdem nominis — Joannes Temudo de Torres, qui obiit an. 1693 Monasterium S. Petri Thenoriensis administrans, et Joannes de Torre, qui Podiense regebat (1705—9), forte idem qui ab an. 1713 ad 1717, fuit quoque Abbas Lerezensis. Erat monachus Sti Joannis B. de Burgos.

Maurus de Vargas (1697—701), et Bartholomæus Decloto, is pariter Magisterii laurea insignitus, primariam Cathedram in supradicta Universitate obtinuit.

Successerunt inter alios saeculo XVII duo Valtisvenarienses monachi, nempe, Josephus Barnuevo, de quo memoria facta est in Catalogo Moderatorum Generalium,¹⁾ et Josephus de Goveo, qui prius domum suae professionis necnon et Thenoriensem, atque S. Petri de Villanova gubernaverat. Item infulas Lerezenses obtinuerunt duo Cellanovani, Petrus de Hoyo, laurea magisterii generalis insignitus, et Antonius de Lebozo, antea proprii Coenobii Rector, et postea Congregationis Definitor. (1717—21)²⁾ et tandem circa finem duo Sahaguntini, scilicet Veremundus de Verea (1785—89), qui jam fuerat Abbas S. Bartholomei Metimnae Campi et Hirachensis postea Praesul (1793—97), Froylanusque Gomez (1793—97).³⁾

Abbates ad saeculum XIX pertinentes invenimus in Catalogis tempore Capitulorum generalium confectis, et sunt qui sequuntur. Ab anno 1805 ad 1814 Matheus Parcerro, ex Charadigna professor, ubi quoque hoc munus adimplevit (1818—24). Illum sequutus est Raphael Portela, ex Sancto Aemiliano, antea elector Abbatum, et post gubernium Lerezense Monialibus S. Mariae de la Serrana pro conscientiae directione datus. In Capitulo an. 1818 designatus fuit Felix Victorero, ex Cellanova; verumtamen recusavit, ejusque loco electus est Petrus Suarez, item Cellanovanus, qui Lectoris munere fungebatur in Collegio S. Mariae de Obona (1814), quod administravit ab anno 1832. In sequenti Capitulo etiam recusavit electus Enneco Garcia Gimenez, Compostellanus, unde substitutus est ei Bernardus de Zubiaur, Charadignensis, tunc Monialium S. Pelagii Ovetensis Vicarius, jampridem Domus propriae Abbas (1814), translatus deinde ad Montem-serratum Matritensem (1828), et tandem primus Deffinitor in ultimo Capitulo Congregationis (1832). Ejus successor fuit Bernardus Montes Guntin, Burgensis, inter Deffinitores adnumeratus primum an. 1805 et iterum 1824, quo tempore Congregationi praefuit per aliquot menses ob promotionem Generalis Pauli de Colmenares ad Episcopatum Illerdensem. Abbatiali dignitate potitus fuerat in suo Coenobio Burgensi et tandem an. 1832 inter Magistros Generales adscribi meruit. Postremus Lerezensis Abbas fuit Ignatius Fernandez Ulloa, ex Sancto Isidoro de

¹⁾ Studien, 1907, pag. 329.

²⁾ Ex Catalogo Ms. Cellaenovae.

³⁾ Ex Annal. Mss. Monasterii Sahaguntini (1736—1798). P. Froylanus degebat adhuc an. 1830, eratque decanus totius magni Conventus Sahaguntini — videtur obiisse ante dissolutionem illius conventus, quia deest in Catalogo eorum qui supervixerant tantae calamitati.

Dueñas, aliis officiis jam emeritus, etenim an. 1818 designatus fuit Abbatum elector, deinde Abbas Isidorianus (an. 1824), et in sequenti Capitulo Definitor et Theologiae Lector in Coenobio Burgensi.

Ob amenitatem loci, qui ex auctorum consensu Paradisi pars esse videtur,¹⁾ et juxta mare situs, unde fere absque labore quae ad victum necessaria sunt Conventus habebat, Congregatio destinavit hoc Coenobium pro studiosa juventute, atque saeculo XIX inter Collegia ejus officiosa recensetur. Hac de causa, ut in aliis Coenobiis contigebat, familia propria caruit, et post dissolutionem Communitatum facile derelictum est. Verumtamen multis annis Ecclesiae curam gessit P. Joannes de Arribas, ex Monasterio S. Mariae de Obarenes professus, qui approbante Archiepiscopo Compostellano, et adjuvantibus monachis Samonen-sibus hoc Coenobium an. 1882 restaurare aggressus est; cum autem dictus monachus obiisset quatuor post annos (1886), tentata restauratio periiit. In Ecclesia Lerezensi veneratur imago S. P. Benedicti, quam valde colunt gentes circumacentium oppi-dorum, quae per ejus intercessionem plurima impetrasse beneficia gloriantur. Miracula ipsius proposuit Yepesius noster in Chronico suo enarrare, attamen a proposito deinde recessit, quia volumen non parvum iisdem impleri posse asserit.²⁾

§ VII.

Monasterium S. Petri de Tenorio.

Nullam de hoc Monasterio in historicis notitiam habemus, tantumque de illo remanent quae scripta sunt initio saeculi XVII jussu Rmi. Abbatis Generalis, Antonii de Sarmiento, ut mitterentur monachis Maurinis pro Annalibus Benedictinis contextendis.³⁾ Juxta haec, igitur, Origo seu initium foundationis ignoratur, creditur tamen pertinere ad tempora S. Fructuosi, Archiepiscopi Braca-rensis, multorumque Coenobiorum per istam regionem conditoris. In archivio Lerezensi erat scriptura anni 1073, quam inter alios Abbates subscripsit Arias Pelagius Thenoriensis. Nullum alium

¹⁾ Yepes, IV, 210; Argaiz, Soledad laureada, III, 360; Florez, »España Sagrada«, XIX, 29 Morales, »Viaje Santo«, pag. 139.

²⁾ Yepes I, 128, IV, 210 v, 211; Heredia, »Flos Sanctorum O. S. B.«, I, pag. 180.

³⁾ Miramur valde quod eruditissimi monachi, qui opus jam supra citatum »Motivos legales« conscripserunt haec ignoraverint, vel omiserint, cum non parum ad illorum propositum inservirent. Brevissimam notitiam et Praelatorum seriem usque ad an. 1725 accepimus per R. P. Maurum Ruiz, O. S. B. cum debebat in Monasterio Samonensi, ubi ex Ms. originali eas desumpsit. Morales, »Viaje Santo«, tantum meminit nominis hujus Monasterii, quod non invisit, quia nihil notatu dignum in eo erat — (pag. 139 edit. cit.).

Praelatum cognoscimus per duorum saeculorum spatium usque ad an. 1263, quo exstat memoria Petri Martinez. iterumque silet historia per saeculum et dimidium, nempe usque ad an. 1430, ejus est prima scriptura, quam Monasterium Thenoriense possidebat. Ex ea constat tunc temporis esse Abbatem Joannem Perez, cui paulo post successit Joannes Tenorio a Duce Petro Madrugá depositus, et ipsi substitutus est Joannes de Cerneda, monachus Lerezensis. Hic invenitur apud Thenorium tantummodo cum alio Presbytero ad Sacramenta fidelibus ministranda (1467.) Subsecutus est Jacobus, Sanctus dictus, qui simul Abbatiam Lerezensem gubernavit, ibique ordinariam residentiam habebat, quod ruinae causa fuit Thenoriensi, maxime quia viam aperuit Pseudoabbatibus, etenim post ejus mortem utramque Abbatiam obtinuit quidam canonicus Ecclesiae Compostellanae, qui per triginta annos substantiam earum absque labore suxit.

Diu acriterque concertatum est ad hoc Coenobium reformatum, seu potius restaurandum, et nonnisi firmissima Imperatoris Caroli V voluntate consequutum. Primum rescriptum expeditit ipse die 27 Augusti an. 1536 ad instantiam Moderatoris generalis Congregationis Vallisoletanae, cui cura reformationis demandata erat, quia Commendatarius nolebat bona usurpata reddere, neque adimplere quae jampridem per alias ordinationes jussum fuerat. Rebus compositis, praefectus fuit Thenorio monachus nomine Franciscus de Orense, qui tamen non multo post a saecularibus persuasus, aut seductus, obtinere conatus est a Romano Pontifice bullam ut in dignitate abbatali ad vitam confirmaretur. Cum hoc ad notitiam Abbatis Generalis perveniret, iterum ad Imperatorem movit recursus ut impediretur, sicuti factum est per rescriptum ejusdem die 12 Novembris expeditum. Abbas Generalis tunc apprehendere voluit supradictum monachum, qui hoc vitavit fugiens in Lusitaniam, secum Archivi instrumenta deferens, quae omnia post mortem ipsius ibidem deperdita sunt. Non adhuc finis malorum huic Coenobio; etenim paulo post accessit quidam clericus, qui Abbatiam impetravisse asserebat a Romano Pontifice, super quo non leve litigium motum est inter ipsum Congregationemque Vallisoletanam, quae tandem vicit. Vix hocce finitum erat, cum surrexit alius Pseudoabbas etiam contendens ut ei traderetur Monasterium, ejus substantia ipsi debebatur quia illam in Curia Romana obtinuerat. Imperator Carolus V ad omnem litem radicitus amputandam, suppositas jussit provisiones hujusmodi colligere, atque ita denique pacem restituit et observantiam una cum vita regulari apud Thenorium introduxit.¹⁾

Primus Abbas post hujusmodi contentiones finitas fuit Victor de Olimpías, quem secuti sunt alii quinque, inter quos

¹⁾ Cf. Motivos legales, cit. pag. 449.

recensetur Petrus de Naxera, (1569—72) diversus a Congregationis Moderatore ejusdem cognominis.¹⁾ Post exactum gubernium Alphonsi de Sahagun, qui bis hoc Monasterium moderatus fuerat (1562—71; 1674—77), Praelati Lerezenses quaedam jura super Thenorium allegarunt eo successu ut tres sequentes simul utramque Abbatiam administraverint, sed tandem Congregatio proprium habere Superiorem Thenoriensibus concessit ac designavit, nempe Joannem de Salazar, monachum, ni fallimur, Charadignensem qui multa opera, apud Thenorium confecit. Ad praedictum Monasterium pertinebat quoque Andreas Anzuriza (1589), Abbas prius Charadignensis, itemque Podiensis, Definitor Congregationis, iterum Praesul Charadignensis (1590—92) et tandem Burgensis (1592) quo triennio cessit e vita initio an. 1594.²⁾

Sequenti saeculo prae aliis nominandus venit Antonius del Valle, Monasterii S. Zoyli de Carrion monachus, et „gloriosissimae memoriae“ apud Thenorium praesul (1617—25). Ab anno 1645 ad 49 rem Thenoriensem administravit Franciscus de Salvador, ex Cellanova professus, paulo post ad Abbatiam B. Mariae V. de Espino translatus.³⁾ Anselmus de la Cuesta, monachus Silensis, ex Thenorio ubi abbatali munere functus fuerat 1656—57 ascendit ad infulas S. Martini Matritensis, aliis muneribus ibidem perfunctis jam emeritus.⁴⁾ Maurus Velazquez, monachus et abbas apud Cellamnovam, pertransiit per Thenorium ab an. 1673—77, post cujus Praelaturam designatus fuit rerum Congregationis Procurator in Curia Matritensi (1677), atque Magisterio generali condecoratus in sequenti Capitulo (1681), tandem extremum clausit diem apud Samos die 3 Januarii 1685.⁵⁾ Joannes Temudo de Torres, Cauriensis, electus an. 1693 secum perduxit monachum qui documenta Tenoriensia ordinaret. Obiit eodem anno, et in ejus loco suffectus est Placidus Corona, Montserratensis; post hoc munus ad Abbatiam S. Victoriani Regni Aragonici translatus ex regia praesentatione, illam cum laude usque ad mortem rexit.⁶⁾

Saeculo XVIII Tenorienses infulas adepti sunt ornaruntque Benedictus Losada, Compostellanus (1701—5), Coenobiorum Sti Martini, Villanovae ac Lorenzanae quoque Abbas emeritus; quem secuti sunt in regimine duo ex Cellanova, nempe Emmanuel de Pimentel (1705—9), qui obiit administrans Abbatiam S. Andreae de Espinareda; et Franciscus Oxea (1709—13),

¹⁾ Studien, 1907, pag. 46.

²⁾ Berganza, op. cit. pag. 313—14, 322.

³⁾ Argaiç, »Perla«, pag. 396; Studien, 1907, 321.

⁴⁾ Argaiç, op. cit. pag. 400.

⁵⁾ Catalogus Ms. Cellaenovae.

⁶⁾ »España Sagrada«, XLVIII. pag. 173 74.

Magister Generalis in Congregatione, neonon et Praesul S. Mariae de Hirache et S. Isidori de Dueñas: hic altare majus construxit atque deauravit. Catalogus finitur Josepho Bru, Montserratensi, († 21 Martii 1733), nobisque latent coeteri Abbates usque ad ann. 1787, quo praefectus fuit Theodorio Josephus de Zevallos, Silensis, qui obiit in hoc Monasterio die 11 martii 1799.¹⁾

Tandem in Catalogis saeculi XIX apparent sequentes: Marcus Perez de Pazos, Sahaguntinus, ab an. 1805 ad 1814; deinde duo Compostellani, Gregorius Auñon (1814—18) et Franciscus Sierra (1818—24), post illos Rudesindus Martinez, Lorenzansis (1824—28), ipso tempore Procurator generalis apud Curiam regiam Ovetensem, ac deinde Monialium S. Pelagii Compostellae Vicarius; Julianus Serrano, designatus an. 1828, abbatiale munus gesserat in suae professionis domo (Oña) an. 1818. Seriem conclusit Andreas Sanz, Charadignensis, sub quo dissolutio Communitatum nunquam satis lugenda contigit. In Catalogo Congregationis unus tantum monachus ad hoc Coenobium pertinens invenitur initio hujus saeculi, quot autem Conventum efformarent nobis prorsus latet.

§ VIII.

Monasterium S. Salvatoris de Lorenzana.

Conditum fuit anno 969, ut constat ex charta foundationis, data decimo quinto Kalendas Julii, aera millesima septima.²⁾ Situm est in loco Villanueva tunc dicto, qui pertinebat ad ipsum conditorem nempe Comitem Ossorium Gutierrez. Is, cum desideraret ut „in quolibet loco haereditatum suarum Creator omnium coelestium et terrestrium coleretur per saecula“, proposuit Theodomiro Episcopo Mindoniensi Coenobium apud Villamnovam aedificare, postulavitque ab eo consilium qualiter perveniret ad augendam „Normam Sancti Benedicti“, et quomodo haberet ab ipso Episcopo una cum aliis comprovincialibus discretionem sanctam et justam secundum Canones B. Isidori Hispalensis. Hinc Episcopi, et inter eos S. Rudesindus toties in praeteritis historiis nominatus, convenientes apud Navego, propositum Sanctissimi Comitis laudarunt probaruntque, neonon et omnia, quae ipse in bonum quietemque futuram Monasterii condonaverat et statuerat suo robore confirmaverunt. Ad ultimum iisdem praesentibus, Comes Ossorius seipsum tradidit ad militandum sub Regula S.

¹⁾ Ferotin, »Histoire de l'Abbaye de Silos«, pag. 184.

²⁾ Florez, »España Sagrada«, XVIII, 58, 105—6: et in App. »Eserituras inéditas«, pag. 327. seq.; Arguiz, Soledad, III, 48^a—89; »Motivos legales«, pag. 425; Yepes, V. 141 seq. et App. Scriptura XVIII, p. 440, in qua mendose annus ponitur. Magis adhuc erravit Morales, lib. XVI, cap. 34; sed in »Viage Santos«, p. 114, cum reliquis scriptoribus sentit.

P. Benedicti, atque in sancto proposito permansit usque ad mortem maxima vitae sanctimonia, quam Deus nobilissimis illustravit miraculis, inter quae memorantur quatuor mortui ad vitam reducti, quapropter a finitimis populis ut Sanctus habitus est vel ab ipso mortis tempore, Sanctusque per totam Hispaniam adhuc vocatur.¹⁾

Ab ipso fundationis exordio plurima possedit praedia, oppida, Ecclesias, nonnullaque Monasteria, quae in Charta fundatoris sigillatim memorantur. Ex his magis nota fuere S. Maria, Maior dicta, in Civitate Mindoniensi, et Juvianum apud Ferruallium, quod pariter alia sibi subjecta habebat, et antiquis temporibus fuit simul Monachorum ac Monialium, deinde Abbatia Congregationis Cluniacensis (an. 1121), quae tempore Commendarum in manus Pseudoabbatum incidit. Hi sanguinem ejus ita suxerunt, ait Florez, ut parum abfuerit quin esse desierit, quod quidem evenisset nisi Congregationi Vallisoletanae una cum Coenobio Lausenzanensi adhaeserit, verumtamen tunc ad Prioratus gradum reducta est.²⁾

Etsi sanctus Comes ad lites in posterum vitandas expresse statuerit „ut nullus consanguineus (ejus) in ipso monasterio Lorenzaniensi acciperet jus hereditarium“, non defuit tamen quaedam femina ex eadem familia, quae bona usurpare tentaverit, utque sortiretur effectum, Regem Alphonsum VI adiit jura hereditaria pro se adducens. Rex negotium hujusmodi recognoscendum transmissit Episcopo Mindoniensi, qui bona praedicta Ecclesiae suae adjudicavit; quapropter monachi de hoc apud Bernardum, ex Abbate Sahaguntino Archiepiscopum Toletanum et Summi Pontificis Legatum, conquesti sunt. Post graves disceptationes inter hunc et Mindoniensem habitas, tandem omnia composita sunt inter-

¹⁾ Ejus vitam fuse prosequitur noster Yepes, loc. cit., itemque P. Florez, op. cit. pag. 291 seq. ubi juste conqueritur quod Morales de miraculis Sancti Comitis dubitaverit, et Bollandiani socii eum praetermisserint, cum ejus cultus ad illorum usque tempora non interruptus perseveraret, et communiter ab auctoribus tam domesticis, quam exteris »Sanctus« vocetur. Cf. praeterea Villaroel (Em), O. S. B. »In sacras Tautologias«, tom. III. Matriti, 1713, Sancto Comiti nuncupatum, ubi miracula virtutesque ipsius commemorat. Item Sandoval apud praedictos Auctores, necnon et Argaiz, loc. cit.; Bucelinum; »Menologium Benedictinum«, XXXI Aug. p. 606: San Vitores (Alph.), O. S. B., »Sol de Occidente«, I, pag. 482, edit. Matrit. 1645: »Año Cristiano«, edit. Matriti-Barcin 1847, Aug. XXXI p. 534 pariterque duas alias edit. an. 1854 etc. Mabillonius (Annales, III, 600) confundit hunc Comitem Ossorium Gutierrez cum alio omonimo, sed aetate antiquiore, vivebat enim an. 892 et fuit Conditor Monasterii S. Mariae de Aguilar de Campo, ubi quoque habitum O. N. assumpsit. Hoc Coenobium, non Laurensanense, ad Praemonstratensem Ordinem postea pertinuit. (Yepes. loc. cit. et tom. III, 401; Morales, lib. XIII cap. 38, ubi ex profeso de hoc Coenobio de Aguilar pertractat. ap. »Glorias Nacionales«, vol. II, pag. 247—48.

²⁾ Florez, »España Sagrada«, pag. 59, 60: Yepes; loc. cit. pag. 146; Argaiz, »Soledad laureada«, III, pag. 472—73, 475—77.

veniente Roderico Velaz Ossorio, sancti Comitis nepote, qui nonnulla bona sua Episcopo Munioni tradidit, et ita quae ad Laurensanense Coenobium pertinebant, ipsi reddita sunt.¹⁾

Deest in scriptoribus Catalogus Praelatorum Laurensanensium, itaque nomina eorum alto silentio adhuc sepulta sunt, praeter ea quae in chartis aliisque instrumentis impressis reperiri poterunt.²⁾ Illum vidit noster Yepesius, quem tamen propter ejus defectus chronologicos in Historia sua non inseruit. Habuit quoque hoc Coenobium nonnullos Pseudoabbates et quidem praepotentes, unde admodum ei difficile fuit ab eorum manibus se liberare, quod tandem consequutum est anno 1518. Quamvis ab isto tempore facilius fuerat seriem Abbatum texere, similiter hunc laborem Yepesius praetermisit, non obstante quod ipse fateatur plurimos eorum ad praecipuas Congregationis dignitates pervenisse. Neque ante Yepesium, neque post eum vix invenitur ullus monachus ex aliis coenobiis qui hoc rexerit, ideo credimus in eo servatum esse statutum praeferendi propios extraneis dummodo idoneos habuerit, quod si ita factum est, non parum in ejus laudem honoremque cederet. Aliquam tamen exceptionem passum esse non est dubium, saltem in fine saeculi XVII, siquidem Laurensanenses infulas obtinuerunt Josephus Valdes, monachus et Abbas Samonensis (1681—85), et Benedictus Losada coenobita Compostellanus, sui que coenobii quoque (1689—93) Praelatus.

Non omittendi sunt hic quos certo novimus Praesules fuisse Laurensanenses, ejusdem cognominis, non tamen temporis, alter Maurus Villaroel, qui ob vitae ac doctrinae meritum ad supremam Congregationis dignitatem pervenit, ut suo loco dictum est,³⁾ obiitque jam electus archiepiscopus Caesar augustanus postquam Jacensem per undecim annos sanctissime administravit Ecclesiam († 1646);⁴⁾ alter Emmanuel Villaroel, sacrae theologiae doctor, Sacrarum Litterarum in Universitate Salmantina interpres, atque ordinis concionator generalis, scriptis in lucem editis praeclarus, cui regimen Coenobii post tot merita initio sequentis saeculi (an. 1713) demandatum esse videmus.

Ad saeculum XIX pertinent qui sequuntur omnes hujus Monasterii conventuales, nempe: ab an. 1805—14 Benedictus Martinez, cui successit Ossorius Angulo (1818—24), in capitulo sequenti officio concionatoris generalis remuneratus; post quem intravit Josephus Perez Aris (1824—28) antea ibidem a concionibus, deinde apud Najaram (1828) et Vallisoletum (1832): eadem

1) Yepes, loc. cit. p. 146 v—47; Florez, loc. cit. p. 120; Argai, pag. 492—93.

2) Ita apud Florez (loc. cit. pag. 107) occurrit nomen Cresconii an. 992 in concordia cum Armentario, Episcopo Mindoniensi circa Ecclesiam S. Stephani de Paulelo.

3) Studien, 1907, p. 319.

4) Em. Villaroel, in Praefat, op. cit.

via pervenit ad Praelaturam Theodorus Gomez (1828—32) jam pridem inter Praedicatores generales adscriptus (1814). Sequutus est post eum Raymundus Gonzalez Valle (1832) sub quo dessoratio loci sancti evenit.

Nonnullos habuit haec domus monachos doctrina et muneribus perfunctis clarissimos, inter quos memorandus hic venit praecipue post Anselmum Rodriguez Antistitem Almeriensem (1780—98) et Anselmum Pelaez, de quibus inter Generales actum est,¹⁾ Benedictus Marin. cl. Em. Villaroel discipulus, pariter sac. theol. Doctor et primariae cathedrae Salmanticae professor, Abbasque Collegii S. Vincentii Salmanticensis, deinde Coenobii Neomontserratensis, ex quo ad Episcopalem Cathedram Barbastri ascendit an. 1748, paulo post Giennium translatus magnis in Ecclesiam Regnumque meritis clarus, in senectute bona quievit die 10 Augusti 1769.²⁾

Soeculo XIX abbatiali potiti sunt dignitate in aliis Monasteriis Augustinus Gonzalez Villar apud S. Stephanum de Ribas del Sil an. 1818, qui praeterea Procuratoris munere functus est in Portu Brigantino; Rudesindus Martinez, Abbatum Elector et Procurator Ovetensis, apud Thenorium, 1824; eodemque quadriennio apud Villamnovam Emmanuel Verea: et Joachim Alvarez an. 1832 apud Cornelianam. Ad hoc quoque Coenobium pertinent Gregorius Hernida, Studiorum Praefectus apud Exlonzam (1818) et Congregationis Visitor (1824), et P. Joannes Emmanuel Garcia, a Pancorbo, Archidioecesis Burgensis, qui habitum induit die 17 Novembris 1801, et in ultimo Capitulo Generali inter Patres Definitores adnumeratus, ob mortem eorum omnium post eversionem Monasteriorum, an. 1865 ceu Superior seu Praeses Congregationis a monachis agnoscebatur.³⁾

§ IX.

Monasterium S. Vincentii de Monforte.

Olim usque ad saeculum XII. vocabatur „de Pino“ vel quia erat juxta arborem hujus nominis, vel in summitate seu pinaculo montis rotundi constructum.⁴⁾ Exordium ejus ignoratur

¹⁾ Studien, 1907, pag. 542, 545.

²⁾ In Capit. Gen. an. 1737 oblata est ei suprema dignitas Congregationis, quam declinavit in P. Michaellem de Hecce, qui salutatus fuit Abbas Generalis. Cf. «Oracion funebre» en la Capilla de la Universidad de Salamanca, 5 de Mayo de 1770, por el Rmo. P. Maestro Basilio de Mendoza, Cisterciense.

³⁾ Cf. Catalog. Congregat. anni 1801, quo tempore conventus Laurensanensis constabat triginta sex monachis et duobus conversis. Item Catalogum Abbatum Generalium praefixum Compendio Historiae Sahaguntinae a P. Primitivo Pavia, ejus monacho, an. 1835 confecto. Studien, 1907, pag. 548.

⁴⁾ Yepes IV. 285 seq.; Risco, O. S. A., «España Sagrada», XL, 227; Lopez Pelaez (Antolin), «Los benedictinos de Monforte», Coruña, 1895. p. 31.

defectu instrumentorum quae non semel flammis vorantibus disparuerunt, creditur tamen illud ducere ab initio restaurationis hispanicae, et fortasse mauricam irruptionem antecessit.¹⁾ Praecipua memoria hujus Monasterii exstat tempore Alphonsi III Regis cum „jussit congregare collegium Episcoporum Regni sui“ ex consensu et jussione Joannis Papae Ecclesiae Romanae „ad consecrandam Ecclesiam domus S. Salvatoris Ovetensis.“ Adfuit quoque Abbas Monfortinus, Spasandus nomine, cui Patres concesserunt „licentiam ligandi et solvendi, et in tota terra de Lemabus (Lemos), ut castigasset et seminasset semen vitae aeternae . . .“ unde adjutorium habuisset et obedientiam prae-buisset Episcopo Ovetensi, qui controversiam non parvam habebat cum Lucensi circa Ecclesias in eo territorio contentas. Has omnes assignaverunt Monasterio S. Vincentii, cujus Praelatus exinde jurisdictionem quasi episcopalem in eas semper exercuit.²⁾ Abbas Espassandus (cui praecesserant Galendonius et Censericus „qui pervenit ad Episcopatum“), multis annis maximo cum fructu Monfortensi conventui praefuit, ejusque suscriptio in praecipuis instrumentis illius aetatis sonat (894—938?).³⁾ Post ejus mortem cum dignitatem haereditario jure propinqui tenerent, schisma inter ipsos exortum est, ad quod extinguendum, juxta illius temporis morem ad aquae calidae probationem a Rege Ordonnio uterque Praelatus compulsus est.

Cum initio saeculi XII Rex Alphonsus VI concesserit Comiti Froylano Diaz territorium de Lemos, hic de consensu Abbatis Michaelis conventusque Monfortensis coepit aedificare oppidum ad radicem ipsius montis, unde „Monforte“ quoque appellatum est, nostraque adhuc aetate perseverat. Cum hoc locum ad Coenobium pertineret, Raymundus, Galeciae Comes, uxorque Urraca, Castellae postea Legionisque Regina, concessit Monasterio tertiam partem oppidi et Kalendarum, seu feriarum, quae in eo fiebant. Haec postea confirmata sunt ab Alphonso VII, praedictorum filio,

¹⁾ Yepes loc. cit. pag. 488, licet errore deceptus, quia censuit Abbatem Espassandum fuisse decimum Praelatum hujus Monasterii. Argaiç III, 444 — Morales asserit »esse fundationem antiquissimum« (Viaje Santo — pag. 163) et P. Risco etiam dicit esse »magnam hujus Coenobii antiquitatem« — loc. cit. pag. 225. Lopez Pelaez, op. cit. pag. 31.

²⁾ Scriptura Montforti exstat ap. Yepesium in App. vol. IV. n. XXIX, ex quo transcripsit Em. Card. de Aguirre, O. S. B. in »Maxima Collectione Conc. Hisp.« — edit. Catalani Romae 1754, IV, 267. Producitur quoque a Lopez Pelaez, in App. op. cit. pag. 173. In dubium vocata est authenticitas Conciliorum Ovetensium ab aliquibus scriptoribus; haec de causa illorum acta omisit Villanuño O. S. O. in Compendio operis Card. de Aguirre, sed illa postea defendit Cl. P. Risco, »España Sagrada«, XXXVII, 166—94; 227—48.

³⁾ Lopez Pelaez, op. cit. 33 seq. 193; Yepes, IV, pag. 286 v seq.; Risco, »España Sagrada«, 225; Argaiç »Soledad laureada« III. 444: »Motivos legales«, pag. 447.

ejusque successoribus Alphonso IX praecipuo benefactore et Joanne I. Prioris diploma roboratum est ab Innocentio III, qui probat quae rex Alphonsus concesserat Monasterio „in compensationem eorum, quae in populatione villae Montis fortis per ipsum occupata fuerunt.“¹⁾

Hoc oppidum de Montforte processu temporis, ab anno nempe 1332, quo Alfonsus XI concessit illud Comiti Petro Fernandez de Castro, devenit sedes illius comitatus ex quo Coenobio innumera provenerunt mala ob tantorum saepe inimicorum vicinitatem, a quorum manibus vix liberum esse valuit etsi sub tutela Imperatoris Caroli V praesidium quaesierit.²⁾ Multa quoque passus est Conventus ab oppidanis Monfortensibus, qui comitum potentia freti, solvere saepenumero, quae debebant Monachis, detrectabant, vel etiam bona usurpabant, quapropter ad magnam egestatem ac pauperiem devenit et ab episcopis Lucensibus adjuvari debuit.³⁾ His malis accessit frequens competitio Abbatum, qui ut supra dictum est jure haereditario succedebant, quo deinceps porta patuit Commendatariis; itaque Coenobium, quod aliquando sat ditatum fuerat, et regularem observantiam diu custodierat, horum ingressu omnia simul amissit tam miserabiliter ut, sicuti Yepesius noster apprime notat, in Xenodochium tamquam pauper ac valetudine orbatum se recipere debuerit.⁴⁾ Hoc dicebat ille Chronographus quia Monfortense Coenobium an. 1496 unitum fuit Monasterio Sanctae Mariae de Zebrero, in itinere, quod in Compostellam perducit, pro inserviendis peregrinis Sepulchrum B. Jacobi Apostoli visitantibus, in confinibus Gallaeciae ac Legionis constructo.⁵⁾ Eodem tempore utraque Domus aggregata fuit Monasterio S. Benedicti Vallisoleitani, a quo in posterum dependentiam habuerunt, et licet Monfortensis dignitatem abbatialem retinuerit atque inter Congregationis capitulares adnumeraretur, ejus tamen Praelatus in consilio seniorum Vallisoleitanorum eligebatur.⁶⁾ Plurimum hi adlaborare et insudare debuerunt primum ad Coenobium Monfortense reformandum, deinde in ejus restauratione bonorumque conservatione tum ob praepotentiam vicinorum Comitum, tum ob lites cum

1) Yepes loc. cit. 285; Lopez Pelaez, Op. cit., pag. 82, seq.

2) »Motivos legales«, pag. 448; Lopez Pelaez, pag. 103 seq.

3) Lopez Pelaez — Op. cit. pag. 197, 198.

4) Yepes, loc. cit. pag. 290.

5) Morales, »Viaje Santo«, p. 165; Yepes, IV, 62; Argaiz, »Soledad laureada«, III. p. 439.

6) Similia contigebant in electione Abbatum Zamorae, Fromistae et Bages, qui tamen in Comitibus generalibus locum ac votum non secus ac reliqui Praelati habebant. Cf. Studien, 1904, pag. 708.

Episcopis Lucensibus circa Ecclesias in territorio Abbatiae contentas, quas isti multoties visitare voluerunt; hac de causa tota Coenobii hujus historia usque ad saeculum XIX libris hujusmodi plena est.¹⁾

Catalogum Abbatum Montfortensium omisit noster Yepesius, profertur vero quem compilaverat Pater Mancius de Torres usque ad initium saeculi XVII, in opere D. Antonini Lopez Pelaez, tunc Canonici Lucensis, nunc vero meritissimi Episcopi Jacensis, inscripto: „Los Benedictinos de Montforte“. Omissis antiquioribus inter quos praecipuus esse videtur post Espassandum, Didacus Garcia, qui saeculo XIV claruit magna sanctitatis opinione,²⁾ primus ex Vallisoletanis fuit Andreas Pardo (1509—12), ob defensionem bonorum Monasterii a Comitibus de Lemos trucidatus, cujus tamen vita a quibusdam pseudohistoricis comice narrata, deinde per poetas in odium religiosae professionis peregrinis rarisque, ut ab eis inveniendi licentia solet, circumstantiis vestita traditur.³⁾ Dignos habuit in regimine socios ac successores Petrum de Aguilar (1512—19), Joannemque a Sancto Cipriano, qui pariter multa pro Dei domo ac haereditate passi sunt praecipue a Comitissa vidua de Lemos, Christianae ac muliebris feminae dedecus. Benedictus de Ontiveros (1531—38) ad vitanda mala, quae ex nimia vicinitate palatii Comitum proveniebant Monasterio, quod angustius erat ex quo praedicta comitissa murum prope ipsum erigere praecepit, a Moderatore Congregationis translationem illius in meliorem magisque securum locum obtinuit. Coeterum aedificia numquam fuere vitae monasticae satis accommodata; Ecclesia vero computabatur inter meliores illius provinciae, fiebantque in ea modo convenienti omnia, quae ad sacrum cultum pertinent, ita ut hac in re nihil desiderandum videretur.⁴⁾ Post extinctionem Conventus an. 1835 totum devenit in potestatem episcopi Lucensis, qui ibidem hospitium seu xenodochium Sororum, quae vulgo „Hermanitas de los Pobres“ vocantur, instituit, et ita, licet in domum pauperum derelictorumque Monasterium istud conversum esset, a ruina imminente vindicatum est.⁵⁾

(Continuatio sequitur anno sequenti.)

¹⁾ Cf. Lopez Pelaez, Op. cit. pag. 57, seq., 119 seq. 144 — etc.

²⁾ Lopez Pelaez, op. cit. pag. 197—98: sepultus est secus altare S. Michaelis et post quatuor saecula inventa sunt a. 1726 ossa ejus, integra, odoremque mirum spirantia.

³⁾ Cf. Lopez Pelaez, op. cit. caput VI, et App. n. V et VII.

⁴⁾ Yepes. loc. cit. pag. 290 v.: „España Sagrada“, XL, p. 228—29: Lopez Pelaez, op. cit. pag. 50—51, 202.

⁵⁾ Lopez Pelaez, op. cit. pag. 53.